



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 16. Eadem per aliam huic contrariam a Pontifice revocata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Paulo post cum plura alia concordiae me-
dia proposita fuissent, pariter tamen re-
jecta, tandem Religiosis Mendicantibus
suadebant, ut hujus Bullae discussionem
ad futurum Concilium remitterent, in-
terea vero ipsi Concilii Lateranensis de-
finitioni, ac Ecclesiae Gallicanae judicio
adhærerent. Attamen cum Mendican-
tibus hæc conditio minus arrideret, ei-
que sese subicere omnino recusarent, a-
crius contententium exarsere studia.

æcul. XV.

A.C. 1456.

§. XVI.

*Bulla per aliam huic contrariam a
Pontifice revocata.*

Callistus Papa ad sedandas hæc turbas
haud opportunius invenit medium,
quam Constitutionis abrogationem, quo-
circa hoc ipso anno in Mense Septembri
aliam edidit Bullam, qua bono pacis
consulturus, omnia revocavit privilegia
Clementinae Constitutioni *Dudum* adver-
santia, eamque exacte observari præce-
pit. Hæc Pontificis Bulla ad Universi-
tatem directa die tertia Februarii anno
sequenti lecta est; quo facto, Religiosi
Mendicantes, ut pristinis Academiae præ-
rogativis restituerentur, sese submittere
statuunt; id ut facilius impetrarent, Ar-
ti, seu Arthuri Britanniae Principis, Ri-
chemundii Comitis, necnon Franciae Con-

H h 2

nesta-

Sæcul. XV.
A. C. 1456.

nestabilis auctoritatem interponunt. Hic quoque una cum Archiepiscopo Rhenensi, & Parisiensi Episcopo, Academiae Doctores die decima octava ejusdem Mensis in unum coactos adiit, ac in pleno confesso exposuit, ad reddendam pacem plurimum expedire, ut præfata Constitutio in manibus Episcopi Parisiensis relinqueretur, Religiosi vero Mendicantes denuo iisdem, ac ante exortam ejusmodi controversiam, Universitatis juribus, atque privilegiis fruerentur, ea tamen lege, ut nuperæ Callisti III. Bullæ, qua Nicolai V. Constitutio revocatur, obedientiam præstarent.

§. XVII.

Religiosi Mendicantes sese subjiciunt.

Equidem FF. Prædicatorum Prior ceterorum Mendicantium nomine denuo admitti postulavit, quia vero minoris submissionis signa dedisse videbatur, altera etiam vice Connestabilis Religiosos ad publicum confessum vocare compulsus est, ubi magis humili ac demisso mentis obsequio subjectionem professi sunt, Fratrum Augustinianorum Priore ceterorum omnium nomine verba faciente. Quapropter pristinis Academiae juribus restituti sunt, pactis hisce
legi.